



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vt professionem monasticam facturus pr[a]eparare, seseq[ue] Deo vnire,
seculo & sibi morti debeat Epist. XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Septimū est, vulnerum multiplicatio, & pretiosissimi sanguinis sui effusio. Ad eum enim repletus est vulneribus, ut à planta pedis vsque ad verticem capitis non foret in eo sanitas: sed per totum corpus aut liuor, aut plaga tumens, aut vulnus erat. Sanguinem etiam ad eum abundanter effudit, ut cruce[m] terramq[ue] rigaret, & vbiq[ue] iuisset, vestigia post se cruenta reliquerat. Hæc diligenter omnia meditata, compunctionem generant cordis, compassionem excitant, desideria eliciunt se Christo conformandi. Ex his multiplicitas occurrit mentalium orationum, vnde paululum quis exercitatus affuecet, ut vita eius nihil aliud sit, quam iugis oratio. Hæc breuiter collegi & in vnum contraxi, quandoquidem alijs estis etiam occupatus, licet sperem aliquando futurum ut reiectis omnibus temporalibus curis in alios, vacetis orationi & lectioni tantum, omne tempus beneplacito Dei ad eiusdem gloriam locantes. Potestis has septem meditationes quotidie, quasi pro septem horis canonicis frequentare, & mentis renouare deuotionem. Quam si sensibilem etiam non recipitis, nihilo minus ab exercitio vestro non desinat. Neque enim in sentimentis huiusmodi æstimatur perfectio deuotionis, sed in prompta voluntate, quæ se tradit in Dei cultum & honorem, parata etiam omni sentimento carere, & nihilo minus vel sicco aridoq[ue] corde Deo seruire, quam diu sic Deo placet. quandoquidem nihil potest homo habere, nisi quicquid dederit Dominus. Patienter longanimiterg[ue] ipsum debet expectare, resignando, committendo, atque credendo se diuinę providentię, eiusq[ue] beneplacito plena confidentia: fiat, fiat.

Et ob deuotionis sensibilibus inopiã non sint bona exercitia deferenda.

Ut ad solennem professionem monasticam, is qui à se mundum abdicauit, preparare, seq[ue] Deo viuere, instar sponsi & sponse: seculo, sibi ipsi quoque mori debeat.

Epistola XXII.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS.

filio suo charissimo N. quotidianum in spiritualibus profectum.

Fili charissime sub missa conuentuali, qua es professionem facturus, quantis potes gemitibus & desiderijs te ipsum excita cupiens, ut virgo desponsanda mundus atque deuotus inueniri in oculis sponsi, cupiens amari à sponso, cupiens eidem placere, cupiens non sperni ab eodem aut proijci, sed in eius oculis inuenire gratiã & acceptari. Iuxta hæc formes tibi varias aspirationes ad Deum, puta huiusmodi: O Domine Deus meus, utinam dignus per te fiam hodie tibi considerari atque desponsari. Complaceat tibi quæso in me nudo, paupere, sordido, misero & miserabili: quia cõplacet mihi in te optimo, nobilissimo & amabilissimo, & ex toto corde desidero te. Dulcis Iesu quis est qui meas mihi auferat sordes, qui munde[m] me, qui dignū me faciat tibi ut coniungar, nisi gratia tua? Quid nos fateor Dñe vilitatē meã, fateor q[ue] magnitudinē, altitudinē, omnipotentia[m] & efficit nobilitatē tuã, sed cõfiteor nihilo minus laudo, prædico & extollo benignitatē & misericordiã tuam, qua non spernis preces pauperum, qua facis mundum de immundo conceptum semine, qua peccata non improperas, qua lob 14. ficut

ficut pijsissimus clementissimusq; pater expansis brachijs me prodigum licet & facinorosum, filium tamen tuum agnoscis, recipis & peccata condonas. Pater misericordiarum haecenus inique egi: sufficit deliquisse: sufficit cheu pater clementissime te ad iram toties à me prouocatum esse. Sit quaso finis superbiae meae, sit finis contentui meo, quo te o vnicum bonum, quo te o salus infinita spreui. Amodd tibi soli seruire cupio, te solum amare, tibi soli placere, tibi soli inhærere. Deinceps Christe Iesu misericordissime in omnibus tibi non solum seruire cupio, sed etiam me ita tibi offerre, ita donare, ita me tibi obligare, vt aliud post hac non possim, quam tibi seruire. Dulcissime Iesu respice hanc voluntatem meam, quam tu dedisti. Cur enim dedisti, nisi vt perficias etiam in me hoc, ad quod dedisti? Sit igitur misericordissime Iesu splendor gratiae tuae super me. Effundatur exuberantia tuae bonitatis in me, vt foedere perpetuo, pacto indissolubili tibi soli adhæream, tibi deuotissimus seruitam. Domine Deus meus multiplica in me dona gratiarum tuarum: da mihi ornamenta ac vestes virtutum, vt decenter ad te veniam, vt inseparabiliter tibi coniungar, vt nihil sit, quod vnquam à te separare me possit. Ecce venio, ecce occurro: Deus meus, miserere mei, & adiuua infirmitatem meam. Da mihi dona gratiarum & virtutum, quibus perpetuo tibi inhæream, quibus tibi soli totus perfectissimèq; semper placeam, tuq; mihi solus placeas. Tu solus mihi sis omnia in omnibus.

Quid cogitare debeat profectioe monastica facturus.

Ezech. 18. &
3.
Luc 15.
Ecl. 49.

Matt. 9.
Luc. 19.
Luc 7.
Joan. 8.
Luc 5.
Luc 14.
Matt 26.
Luc 23.

Huiusmodi desideria multa atq; aspirationes breues, quibus exciteris ad Deum ex teipso vt nascantur tete exerceas. Cum iturus es ad cantandum versum, *Suscipe me Domine* &c. Videatur tibi caelum esse apertum, totamq; sanctam Trinitatem cum beata Virgine Maria vniuersoq; caelorum exercitu expectantem atq; paratam ad te tuamq; promissionem, seu tuam desolationem acceptandam. Atq; idè quasi Deum videres, quasi ante Iesum corporaliter stares, incipe atq; desiderio vehemētissimo clama: *Suscipe me Domine*. Quasi diceret: *Suscipe me, te enim solū desidero, te solum concupisco: tuus esse, de familia tua esse & haberi cupio: tibi soli seruire opto. Suscipe me, nisi enim susceperis, frustra est omnis conatus meus. Secundū eloquium tuum, & vitam. Eloquium .ed est, tuum pijsime Deus: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & vivat. Item: Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore penitentiam agente. Item: Numquid mater potest obliuisci infantem vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen tu non obliuiscar.*

Suscipe me secundū &c non solum secundū eloquium tuum, sed etiam secundū exemplum tuum, quo docuisti nos tibi confidere, secundū ingentem pietatem tuam, qua Mattheo, Zachao, Mariae Magdalena, mulieri adultera, hominibus paralytico & hydropico, Petro, latroni, cunctisq; ad te clamantibus misertus es, peccata donasti, atque tibi eos fideles amicos constituisti. Et non confundas me ab expectatione mea. Expectatio mea tu es. Te expecto à te recipi spero, tibi coniungi opto, pactum perpetuum tecum inire cupio: foedere perpetuo me tibi in seruitutem subijcere volo: tibi inseparabiliter imò & inauertibiliter vniri ex toto corde, ex omnibus medullis meis rogo: Non confundas me ab hac expectatione mea. Credo enim, & iam quasi certus atque securus expecto te suscipientem, te attrahentem, te illudrantem, te protegentem, teque mihi dantem, & me inter amerosissima brachia tua

DVI
16

tua super peccatus tuum diuinum circumplectentem.

Quando circumis ad orandum, pete humiliato corde atque verecundo, vt preces aliorum tibi profint, dignumq; te efficiant hac tui desponsatione cum Deo, & cætera.

Exuens cappam, puta te relinquere tibiq; abstrahi omnem tuam veterem conuersationem, quæ non fuit secundum Deum: petens hoc idem fieri in te, Domino id agente. Pari modo cum indueris alba & benedicta veste, ora iterum vestes tibi dari virtutum hoc rege cui cupis desponsari dignas, &c.

Lecturus professionem ante recollige mentem, atque vniuersum propositum tuum, quo te totum liberè sicut legis ore, ita & mente tradas resignesque Deo.

Crucem subscribens sigillum salutiferæ redemptionis tuæ, sigillum scilicet, sponsi tui te puta appendere. (Hoc enim commune habes cum sponso) quod hanc tui oblationem desponsationemq; fideliter obseruare intendas.

Sub oratione prostratus, quando benediceris, diligenter ausculta, & mente orans pete, vt eadem in te fiant, quæ petuntur.

Ad communionem, sicut sponsa ad thalamum procede. Ante enim tu in professione tradidisti te Deo, iam in Sacramento se tibi tradet Deus. Propterea ora, vt nexu indissolubili eidem merearis coniungi. Credendum enim valde est, præ omnibus alijs sumptionibus Eucharistiæ singulari se gratiarum exuberantia donare Deum ei, qui toto se corde dedicauit & strinxitq; Deo. Vale, & ora Deum pro me, charissime fili.

Christus cui se singulariter donet in Eucharistia.

Vt is qui relicto seculo, sese monastico instituto dedit, vnicè post Deum debeat venerari, inuocareq; beatissimam virginem Mariam: & quasnam petitiones decem porrigere illi ipsi debeat.

Epistola XXIII.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS.
filio suo prædilecto in Christo plurimam salutem, per merita consequi beatæ Mariæ.

Placent mihi permulta in te, quæ idèd laudo vt tenacius fili mi eadem custodias: non ex hac laude mea eleuandus, neque negligenter, sed feruētior futurus: quanto scilicet, agnoscis te ab eo à quo scis te amari haud quaquam aliter, atq; in Christo commendatum, quem & tu quotq; post Deum singulariter in terra amans, cupis tua bona conuersatione & omni obedientiæ obseruatione lætificare. Placent itaq; mihi (quæ arctius tibi semper commendauit) simplicitas tua tranquilla atque pacifica in bono, castitas verecunda, virginea integritas, obedientia ad chorum, & cætera quæq; aut officia, aut ad genus Ordinis debita, maturitas, & lacritas, & festinans deuotio: & inter alia affectio feruens & casta ad amorem Dei genitricis virginis Mariæ. Quod cum nuper exhortatione, qua potui, in te roborarem, & exercitium ad tam nobilissimam pijsimamq; dominam, spirituale tibi demonstrarem, petisti scriptum tibi assignari. Placet quod

S oras.